

22 *OBSERVAT. SIDEREAE*

que talis positio. Media Stella orientali quam pro-

Ori. **  * Occ.


xima min. tantum sec. 20. elongabatur ab illa, & a linea recta per extremas, & Iouem producta paululum versus austrum declinabat.

Die 18. hora 0. min. 20. ab occasu, talis fuit aspectus. Erat Stella orientalis maior occidenta-

Ori. *  * Occ.

li, & a Ioue distans min. pr. 8. Occidentalis vero a Ioue aberat min. 10.

Die 19. hora noctis secunda talis fuit Stellarum coordinatio: erant nempe secundum rectam li-

Ori. *  * * Occ.

neam ad vnguem tres cum Ioue Stellæ: Orientalis vna a Ioue distans min. pr. 6. inter Iouem, & primam sequentem occidentalem, mediabat min. 5. interstitium: hæc autem ab occidentaliori aberat min. 4. Anceps eram tunc, nunquid inter orientalem Stellam, & Iouem Stellula mediaret, verum Ioui quam proxima, adeo vt illum fere tangeret; At hora quinta hanc manifeste vidi medium iam inter Iouem, & orientalem Stellam locum exquisitè occupantem, ita vt talis fuerit

Ori. * *  * * Occ.

configuratio. Stella insuper nouissime conspecta admodum exigua fuit; veruntamen hora sexta reliquis magnitudine fere fuit æqualis.

Die 20. hora 1. min. 15. constitutio consimilis visa est. Aderant tres Stellæ adeo exiguæ, vt vix

Ori.